



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. X. De Ordine Cognitionvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

IN TIT. VIII. DE DILATIONIBVS.

SUMMARI A.

1. *Dilationes alie probatoria.*
2. *Alia citatoria.*
3. *Alia deliberatoria.*

Dilationum aliarum sunt probatoriarum, quae dantur ad producendos testes, de quibus in *Summa lib. 1v. tit. x § 8.* Alia citatoria, quae dantur citato & in ius vocato, ut compareat & se sistat Judici ad diem dictum; qui si eo die non veniat, iterum & tertio vocandus est per intervallum non minus decem dierum, *l. Ad peremptorium 68. cum l. seq. D. De iudic. vel peremptorie unice citatione pro tribus.* Vide *Summam d. lib. 1v.*

tit. 11. in fine. Quo casu cavere Judex debet, ne terminum nimis brevem assignet, maxime cum de rebus Ecclesiasticis agitur, *c. 1. hoc tit.* Quia in re hodie stylum cuiusque Curiae sequimur.

Sunt & dilationes deliberatoriae, quae reo tempus indulgent, ut interea deliberet, an & quid ad actoris petitionem respondendum putet. Tempus similiter est decem dierum, *Auth. Offeratur C. De lris contesti ex Nov. 53. De exhib. & introducenda reis &c. c. 3. vers. Sancimus:* nisi petitio actoris talis sit, quae non requirat dilationem aliquam deliberatoriam, *c. 2. hoc tit.* Vide *Summam lib. 1v. tit. v. §. 4. V. A.*

IN TIT. IX. DE FERIIS.

SUMMARI A.

1. *Feria alia repentina, alia solemnes.*
2. *An his renuntiare possit. Genus flexio inter Pascha & Pentecosten non faciendâ.*

Feriae sive repentinae, quae ob res feliciter gestas à solo Imperatore vel Principe supremo indicuntur, sive solemnes sicut, cultui divino dicatae vel colligendis fructibus, ut sunt feriae mensium & vindemiarum, dilationum temporibus connumerantur, *l. 3. C. De dilationib.* quia ut intra tempora dilationum interim Judicis officium conquiescit, ita & temporibus feriarum. His tamen, quippe in singulorum gratiam introductis,

renuntiare partes possunt, non etiam illis, quia sunt iuris publici; nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat, *c. ult. hoc tit.* Sic diebus Dominicis omnibus mercatus vel nundinae haberi prohibentur: item iudicia exerceri & sacramenta, id est, iuramenta (nisi pro pace vel alia necessitate) praestari, *c. 1. hoc tit.* Vide *Summam lib. 1v. c. 2. §. 5.*

Addendum & illud, diebus Dominicis, & aliis praecipuis festivitatibus, sive inter Pascha & Pentecosten genium flexionem nequaquam debere fieri, nisi quis faciat ex devotione in secreto, *c. 2. hoc tit. V. A.*

IN TIT. X. DE ORDINE COGNITIONVM.

SUMMARI A.

1. *Major causa trahit ad se minorem.*
2. *Quomodo declaratur exemplis.*

Docetur hoc Titulo quo ordine quaelibet actio vel exceptio cognosci & terminari debeat, maxime circa quaestiones incidentes in iudicium, priusquam ulterius in causa principali procedatur. Quod spectat Reg. Paoli J. C. Per minorem causam maiori cognitioni praedecari non oportet. Maior enim quaestio minorem quaestionem ad se trahit, *l. 54. D. De iudic. id est,* Ubi plures causae concurrunt, quarum una est maior, & alia minor, ibi maior causa est prius cognoscenda & definienda, sive ab eodem sive alio Iudice, & sive agendo sive excipiendo proponatur. Exempli gratia, si quis petat haereditatem

tamquam filius vel proximus defuncti cognatus, & reus neget esse filium vel cognatum, hic prius cognoscendum est de causa natalium, tamquam maiori & praedecari, quam successione, quae minor est, ut dependens ex illa, *c. 3. hoc tit.* Idque coram Iudice Ecclesiastico, quia causa, de qua agitur, est Ecclesiastica. Sic contra mulierem vindicantem aliquem in matrum admittitur exceptio consanguinitatis, quae primo discutienda est, *c. 1. h. t.* Sic agenti spoli nomine aut reus vicissim obiicit exceptionem spoli, ad intentionem adversarii repellendam, & tunc prius de spoli exceptione cognoscendum est, quam de actione spoli: aut reus vicissim agit se esse spoliatum, & tunc simul cognosci debet de utraque causa, quia uterque est actor, alter conveniendo, alter reconveniendo, *c. 2. vers. sed quoniam hoc tit. V. A.*